

Conditio paroeciarum in dioecesi Banjalucensi eodem supra dicto decreto determinata fuit. Episcopus bene intellexit parochias regulares eis pleno jure esse datas, i. e. eorum conventibus unitas. Solum quaerit, utrum et novae ex dismembratione ortae paroeciae ipsis cedendae sint casu quo, consentiente populo, cuncta onera in se susciperent. — S. Congregatio, quae optime noverat naturam parochiarum in Bosna, simpliciter admittit dubium in quo terminis propriis technicis character juridicus paroeciarum franciscalum exprimitur, et ad normam juris sicut in decreto a. 1883 determinatum erat, decidit nunc jus in casu particulari. Ordinatur: 1) parochias canonice erectas dismembrandas esse ad normam juris; 2) religiosos non habere jus ad novam paroeciam, neque episcopum eam illis concedere posse; 3) si vero presbyterum saecularem non habeat, posse, obtenta facultate a S. Sede, religiosis eam provisorie concedere.²⁷⁷

Eandem omnino legem eadem S. Congregatio tribus annis postea pro archidioecesi Vrhbosnensi, occasione dismembrationis franciscanae parochiae Sivša, applicavit addendo monitum archiepiscopo ne ulterius in divisione non audito sensu superioris regularis procedat: »...avvertendo per ciò che riguarda il primo punto (i. e. divisio ad normam juris), richiedersi dal diritto che nel fare la dismembrazione di una parrocchia anzitutto siano sentite le parti interessate.«²⁷⁸ Ad supra dictas vero instantias archiepiscopi de a. 1898 et 1911, ut nempe decretum de a. 1883 immutetur, S. Congregatio, captis informationibus a suo ad hoc in Bosnam exmisso legato P. Bastien, respondit imponendo silentium de hac re.²⁷⁹

His itaque semel pro semper determinatus est character juridicus paroeciarum in Bosna earumque numerus, quae

Propaganda fide, II, 346, n. 1955; Mocchegiani P., Jurisprudencia ecclesiastica, I, Quaracchi 1904, 86—87, n. 146.

²⁷⁷ Collectanea S. C. de Propaganda fide, II, 346 n. 1955.; Bucceroni, o. c. 647.

²⁷⁸ Collectanea S. C. de Propaganda fide, II, 346 n. 1955.; Bucceroni, o. c. 647.

²⁷⁹ Karin K., Redovničke župe i župnici redovnici prema sadašnjem crkvenom pravu, Zagreb 1939, 138—139.